



Tc. 29.



2

PROCANCELLARIVS
D. CHRISTIANVS WILHELMVS
KÜSTNERVS

INAUGVRATIONEM DOCTORALEM IN IVRE
VIRI DOCTISSIMI
FRIDERICI HENRICI ESCHENBACHII
LIPSIENSIS

KALENDIS SEPTEMBRIS MDCCLXVIII.

I N D I C I T

ATQVE

DE TESTAMENTO FEMINAE CAPITE NON DEMINVTAE
AD LOCVM CICERONIS

TOPIC. C. 4.

COMMENTATVR.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZUHALLE

Ti 29





um relictis nuper, sepositisque negotiis foren-
sibus, quibus plerumque premitur animus,
ad musas redissem, iisque lirassem, incidi for-
te in CICERONIS *Topica*, in quibus iuris
antiqui Romani larga semper, ut ita dicam,
seges crescit, eiusque *caput IV.* legenti ab initio statim occur-
rit hoc

Si ea mulier testamentum fecit, quae se capite nun-
quam deminuit, non videtur ex edicto Praetoris se-
cundum eas tabulas possessio dari; adiungitur enim,
ut secundum seruorum, secundum exulum, secun-
dum puerulorum tabulas possessio videatur ex edi-
cto dari.

quae verba cum difficultate aliqua viderentur premi, di-
gna occurrebant omnino, de quibus aliquid scriberemus

IIII

vberius. Agit enim CICERO de testamento mulieris capite haud deminutae, et possessione bonorum secundum tabulas eiusmodi feminae, eique testamenti pariter factionem, ac bonorum possessionem secundum tabulas negare videtur. Qua in re vt ordine agamus, prima de capite mulieris, eiusque deminutione erit dicendi occasio. Iam vero, an mulierculis Romanis ex Iuris Romani sensu et significatione caput possit tribui, anquirendum nobis venit. Si enim consideramus apud Romanos sub perpetua fuisse tutela liberas feminas, cuius rei auctor est CICERO in orat. pro Muraena cap. 12. *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt*, et CATO censorius ap. LIVIVM lib. XXXIV. c. 2. *Maiores nostri nullam ne priuatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt*; cui etiam iisdem fere verbis adstipulatur VLPPIANVS Fragment. Tit. XI. §. I. *Tutores constituuntur — feminis, tam impuberibus, quam puberibus, et propter sexus infirmitatem, et propter forensium rerum ignorantiam, quo etiam colludit §. 25. l. c. mulierum tutores auctoritatem duntaxat interponunt*, earum potestatem adeo esse restrictam et angustis circumscriptam cancellis, quisque facile ex eo potest colligere, quod non tantum nupturae, verum etiam ei quoque, quae iam nupta est, curatorem dari oporteat. l. 7. D. de tutor. et curat. datis. Quod an eo procedat, vt nunquam caput habuisse, sui iuris fuisse feminam possit existimari, iam videamus. Qua in re si sequimur auctoritatem CATONIS apud LIVIVM loco paullo ante cit. qui: *Maiores nostri voluerunt*, ait, *feminas in manu esse parentum, fratrum, virorum*; ipsis erat tutela perpetua, cf. BOETHIVS in topica CIC. cap. 4. et GELLIUS Noct. Att. V. 13. adeo, vt si in patria potestate essent, in parentum manu, nuptiis initis per confarreationem inprimis, in viri, et si ipsis neque pater, neque vir superesset, in fratris manu, siue tutela legitima agnatorum, quae antea in iure cedere poterat, donec feminarum

minarum legitimas tutelae lex Claudia sustinet, vid. VLP. Fragm. Tit. XI. §. 8. et ANT. SCHVLTINGIVM in annotat. et nostram commentationem de tutela cessitia, manerent. Quicquid vero in manu est, atque potestate, id non potest caput habere, atque sui iuris esse, quam ob causam etiam HEINECCIUS Antiqu. Rom. Lib. I. Tit. X. §. 6. et Tit. XIII. §. 19. feminas, quae in manum mariti confarreatione conuenerant, uti filias, non esse capita libera pronunciat; quod etiam de feminis, quae in fratrum manu sunt, simili quidem ratione dici posse videtur. Quae cum ita sint, quanquam facile largior, tum uxores, quae ipsae in mariti manum conuenerant, cum locus VLPIANI Fragm. IV. I. sui iuris sunt familiarum suarum principes, id est, paterfamiliae, itemque materfamiliae, de matrefamilias post mortem mariti sit intelligendus, tum filias, quae natae patris potestatem cum ipsa vita acceperant, esse in manu aut mariti aut patris; tamen reliquis feminis, quae nec in mariti aut patris potestate erant, caput demendum esse, nisi in eas vellem paullo esse iniurius, quod tamen de me dici nolim, haud censeo.

Et quidem, quid potest praeter add. locum VLPIANI esse clarius loco EIVSDEM Fragm. X. 2. *Morte patris filius et filia sui iuris sunt, morte autem aui nepotes ita demum sui iuris sunt, si post mortem aui in potestate patris futuri non sunt. cui addenda est, mulier iuris sui constituta l. 5. C. de sponsal. Habent igitur eae feminae caput suum, quae sunt sui iuris. Quod ne quis tantum de VLPIANI temporibus capiat, age alium testem hoc multo antiquiorem antestemur Valerium Trib. plebis apud LIVIVM XXXIV. 7. Nunquam saluis suis exiit servitus muliebris, et ipsae libertatem, quam viduitas et orbitas facit, detestantur: viduitas enim et orbitas, hoc est cum exemptae manu mariti et parentum, libertate gaudent, non de ea, quae*

VI

statui seruorum, cum hae eas non liberas, quae iam sunt, faciunt, repugnat, intelligenda, sed de liberatione a potestate maritorum et parentum. *In nostro*, pergit, *arbitrio suum ornatum, quam in legis malunt esse, et vos in manu et tutela, non in seruitio debetis habere eas*: Cum igitur libertatem legis opponat arbitrio, quin manui et tutelae virorum; facile quiuis videt, orbitate et viduitate per legis beneficium eas a manu virorum liberari. Cui nostrae sententiae adiiciamus aliud praesidium e nostro loco CICERONIS petiunt, in quo mulieri caput eam ob causam adscribitur, quod nunquam se capite diminuit,

Nec retinet nos illa CATONIS *manus fratrum*, cui subesse debent feminae, cum illa non ita stricte pro potestate, sed tantum pro tutela legitima fratrum et agnatorum, in qua feminae, vt supra diximus, sunt, et de qua conferendus IAC. GODOFREDVS *ad l. 2. Cod. Theod. de tutor. et curat. creand. capienda sit*. At sui iuris homines sub alius tutela esse, quis ambigit?

Sed iam ad feminarum capitis deminutionem procedendum est. Hanc vero, maximam, mediam et minimam esse dupondis satis notum est. Quarum prima mutationem libertatis in se continet, quam subire posse testantur Campanae mulieres, belli iure in seruitutem redactae, pristinae libertati a Senatu restituae apud LIVIUM XXVI. 34. Nec praetereundum est SCtum Claudianum, ex quo liberae feminae, et filiae familias mortuo patre, si in serui contubernio perseuerauerint, efficiuntur ancillae, de quo videas TAC. ANN. XH. 53. PAVLLI *Sent. II. XXI. A. I. PETRI FABRI Semestr. I. 25. CUIAC. Obs. XXI.*

16. quod *SCtum* et dedecus feminarum ingenuarum Iustinianus sustulit *l. vn. C. de SCto Claud. tollendo*. Interim quanquam vxores maritorum conditionem et statum sequebantur, tamen, his in captiuitatem redactis, iura maritorum quiescebant tantum, quod etiam in media deminutione, vxore Romae manente, vti credo, procedebat, cum contra si femina ad peregrinitatem redacta, iure ciuitatis excedit. Tandem iura familiae, et si sui iuris esset, caput amittebat femina per *conventionem in manum*, quam expressis verbis inter minimam capitis deminutionem refert *VLPIANVS Fragm. XI. 13.* et eam, quae in nostro loco legitur deminutionem capitis accipit *BOETHIVS ad h. l. Mulieres antiquo iure tutela perpetua continebat. Recedebant vero ab tutoris potestate, quae in manum viri conuenissent, itaque fiebat eis prioris status permutatio, et erat capite deminuta, quae viri conuenisset in manum. Quaedam igitur, quae se nunquam capite deminuisset, id est, quae in manum viri minime conuenisset, quod, vti satis notum est, per coemptionem et confarreationem, de quibus videatur *PITHOEVS ad Collat. mosaic. et rom. legum Tit. XVI.* fieri solet; ex patris potestate, vti Virgines Vestales exhibant, qua in re tutorum legitimorum auctoritas postulabatur, *CIC. pro FLACCO c. 34.* quae tamen tutela in pupillae capitis deminutione tollitur *§. 4. I. quibus mod. tut.* cum contra vxores, quae erant in matrimonio, tutorem habent. *SCHVLTING. ad VLP. XI. 27.* Sed nec altera capitis deminutio, quae se in arrogatione aut adoptione exerebat, prorsus omittenda. Iam antiquissimis temporibus, quibus adoptiones et arrogationes in comitiis calatis fiebant, cum feminis ad concilia virorum nullus esset accessus *per populum Romanum feminae quidem non arrogant, aut ex CUIACII emendatione, arrogantur, VLP. Tit.**

VIII

Tit. VIII. §. 5. ut etiam feminae neutro modo possunt adoptare, quoniam nec naturales liberos in potestate habent. loco cit. §. 8. l. 5. C. de adopt. quod tamen successu temporis mutatum est, ita ut iam Ciceronis tempore Liwia Dolbellam testamento adoptauerit CIC. ad ATTIC. Lib. VII. epist. 8. quod per verba, iuberi mutare nomen, eo magis intelligo, quod idem fere verbum, scilicet, quod Tiberium et Liuiam ferre nomen suum iussit Augustus, adhibeat SVETON. Octau. cap. 101. ut etiam Galba adoptatus a nouerca sua Liuii nomen assumpsit SVET. Galba c. 4. quod non nisi de adoptione potest intelligi, quanquam contrarius nobis in eo est HEINECC. Antiq. Lib. I. Tit. XI. §. 18. cuius sententiam fortasse commodiore loco sub iudicium vocabimus. Sed quod per Populum non poterat fieri, per Praetorem vel Praesidem provinciae permittebatur, inde apud eum adoptari tam masculi, quam feminae, et tam puberes, quam impuberes possunt. VLP. l. cit. adeo, ut hoc apud quemcunque magistratum perfici valeat. l. 36. D. de adopt. quod deinde feminis ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum concessum est. §. 10. Inst. de adopt. et deinde tempore Diocletiani ad arrogationem transiit, l. 21. D. et l. 5. C. eod. adeo, ut sui iuris arrogatio feminae, nunquam nisi ex rescripto procedat. l. 8. dist. tit. quam sententiam Vlpianum si indicasse verbo quidem IO. VAN DER WATER Obseru. Lib. III. cap. ult. existimat, nescio an plus subtilitatis, quam veritatis redoleant eius argumenta.

An igitur femina capite deminuta potuerit testamentum facere, age videamus. E CICERONIS loco facile colligitur hoc fieri non potuisse, cum tantum feminae, quae se capite nunquam diminuit, testamentum tribuat, cuius rei argumenta eo facilius inde patent, quod femina, quae maiorem

et

et mediam passa erat capitis deminutionem, nec libera nec
 cuius esset, quam ob causam ei nec testamenti factio, quae
 esset Iuris Quiritium, concedebatur, quae in minima eo ma-
 gis cessabat; cum, mulier se viro in manum conuenit, omnia,
 quae mulieris fuerunt, viri sunt dotis nomine. CICERO *Top. c. 4.*
 omniaque marito acquirebat: vti recte contra CUIAC.
Obs. VII. II. monuit GALVANVS *de usufr. IX. ult.* Inde
 non video, qua ratione ex loco CICERONIS adducto ALE-
 ANDER ad CAII INSTITVT. *Lib. II. Tit. III. §. I.* eli-
 cere potuerit hanc sententiam, ac si inde sequeretur, matres-
 familias sine tutoris auctoritate testari potuisse, cum potius
 CICERO eiusmodi testamenta pro irritis, e quibus nulla
 detur bonorum possessio, habeat, quanquam succedente tem-
 pore vxores, quae non in manum conuenerant, testamenta
 ordinabant, de quibus intelligendae *l. II. D. de dot. praeleg.*
et l. 34. §. 7. D. de legat. II. et CIC. pro Caccina c. 6.

Sed qua, quaeso, ratione femina capite non minuta, et
 morte patris filia sui iuris facta, VLP. *Tit. X. §. 2.* testabatur?
 Si enim animum aduerto ad id, quod femina nec in comitio
 locum standi habeat, neque actum legitimum perficere, ne-
 que in ipsis testamentis vicem testis subire queat; sine omni
 fere dubio nec ipsa testamentum solenne condere potest. Sed
 si audiamus VLP. *Tit. XX. §. 15. is, Feminas post*
duodecimum annum aetatis testamenta facere posse tutore auctore, do-
nec in tutela sint, respondet, qua in re auctoritatem tutoris et
 quidem Atiliani VLP. *Tit. XI. §. 18. intercedere debere,* tum
 VLP. *locus add. tum alius VLP. Tit. XI. §. 27.*
commonstrat, cum tutoris auctoritas necessaria est mulieribus, se
ciuile negotium gerant. Quin exemplum admodum clarum af-

pod

B.

fert

fert LIVIUS *Lib. XXXIX. 9.* vbi Hispala Fescenia libertina post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a Tribunis et Praetore petito, cum testamentum faceret, unum Aebutium instituit heredem. Quare BOETHIUS ad locum CICERONIS quoque adiicit: quae sine tutoris auctoritate testamentum fecit. Vti enim femina neque familiae emtor, neque testis, libri-pensue fieri potest, ita extra omnem quidem dubitationem positum est, eam nec in comitiis, nec per aes et libram condere potuisse testamentum; nisi quis forte velit existimare hoc per tutorem fieri potuisse, vti in causa pupilli, l. 3. D. de auct. et conf. tut. cum tamen mulier, quae in tutela est, manumittere non possit, VLP. l. 17. Quare feminis capite non minus nihil, nisi ea testamenta, quae praesentibus septem testibus condebantur, et quorum forma ex Edicto Praetoris introducta est, et deinde ex constitutionum emendationibus in vnam consonantiam iuncta est. §. 2. et 3. Inst. manebant. Tantum vero abest, vt eam ob causam, testamenta feminarum non potuisse esse, arcana, et fuisse magno subiecta periculo, quis putet, vt Vir Doctus ex l. 77. §. 24. D. de legat. II. et verbis: si filia testamentum non faciat, ita enim poterit sine periculo viuere, elicit, vt potius hoc obtentu consilii derogare iuri, testamentum fieri prohibendo voluerit; et periculum non ad formam testamenti, sed potius ad insidias heredipetarum, quas leges saepe commemorant, pertineat. Nec adoptanda est *Viri Celeberr. MERILLII Obs. II. l. et IV. 39.* opinio, qui ex hoc loco feminis nuncupatiuas testationes mentis, quae facilius periculum ipsis ciere possint, relinquit, cum scriptorum testamentorum exempla satis profert. HEINECC. ad *L. Jul. et Pap. Popp. II. II. p. 240. sq.* Iam vero si femina sui iuris ex legum praescriptione fecerit testamentum, an hoc valeat, ambigitur. Si enim CICERONEM in Topicis audias, hoc

hoc non permiffum fuiffe videtur ex eo, quod fecundum huiusmodi tabulas non dari bonorum poffeffionem, aequè ac ex feruorum, exulum, et puerulorum tabulis, contendit. Qui autem fieret, vt in genere testamenta pro irritis vendita flet, et conditionem et cauffam: fi non auctore tutore fecerit, non adieciffet C I C E R O, cum hoc cum maxime opus effer. Sed vi recte hoc fuppleuit B O E T H I V S *ad C I C. Top. loco fupra cit.* ita et inprimis ex L I V I I loco, XXXIX. 9. fatis patet, feminas, quae in nullius manu efferent, auctoritate tutoris testamenta feciffet, cum, teste Catone, *Maiores nullam, ne priuatam quidem, rem agere feminas fine auctore voluerunt, in manu effer parentum, fratrum, virorum,* L I V. XXXIV. 2. cum contra testamenta feminarum fui iuris apud veteres non fint ignota, vi L i u i a e apud C I C. *Ep. ad Att.* VII. 8. et alius L i u i a e S V E T. *Galba* c. 4. et quae l. 19. *D. de in officio.* l. 37. *D. de legat.* III. afferuntur. At qui fit, vt fecundum haefce tabulas feminae, quae nunquam capite fuit deminuta, Praetor neget bonorum poffeffionem, cum inter omnes confitet, non facile heredem in tabulis fcriptum ab ea repelli, fi modo testamentum a feptem teftibus ciuibus Romanis fit fignatum, *etiampi iure ciuili non valeat testamentum.* V L P I A N. *Fragm. XXVIII. §. 6.* inprimis, *fi teftator et ciuis Romanus, et fuae potestatis, cum moreretur, fuit.* I D. XXIII. 6. quod vltimum reuera fuiffe verbis, *fi mulier testamentum fecit, quae fe capite nunquam diminuit,* fatis clare demonftrat C I C E R O. Quae cum ita fint, ipfa res torfit curatum fane Ciceronis interpretem B O E T H I V M *ad h. l.* vt eum ita intelligeret: *Quid officere potest, ne fecundum mulieris nunquam capite deminutae tabulas poffeffio deferatur? Id fcilicet, quod ea, quae testamentum confecerat, fui non fuit iuris, quod idem et de pueris, et de feruis dici potest. Illorum enim aetas, illorum conditio in alterius fta effer potestate.*

Adiungitur ergo: si secundum mulieris, quae in suo iure non esset, tabulas possessio detur, secundum puerulorum, quoque seruorum tabulas possessionem dari, qui sui iuris minime sunt, quoniam quidem illi sub tutoris, illi sunt sub domini potestate. Quae ratio tamen non procedit, cum non respondeat CICERONIS loco, qui non mulierem, quae sui non fuit iuris, et quae in suo iure non est, sed eam, quae se capite nunquam diminuit, prae se fert. Inde etiam ipse BOETHIUS orationem confundit suam, pergens: Quaeritur enim, an secundum mulieris tabulas nunquam capite deminutae, h. e. sui iuris, possessio detur. Quam rem consequitur, uti, si id fiat, secundum seruorum quoque puerorumque tabulas deferatur. Quod quia fieri non oportet, ne rei quidem praecedentis existere debet exemplum. Et quidem diffiteri non possum maiorem similitudinem inveniri inter testamenta feminae capite minutae, et seruorum, exulum et puerulorum, siue impuberum, quia omnes non sunt sui iuris, et sub eodem genere comprehenduntur, quia omnibus testamenti factio non est relicta, uti antea de femina dictum, et in exule et seruo res per se constat, et impubes, licet adeo sui iuris sit, testamentum facere non potest VLP. XX. 12. adeo, ut facile quis in eam sententiam possit venire, ac si in CICERONE verbulum nunquam sit loco mouendum, quo melius cohaereat sententia. Sed procul absit, ut hic emendatio sit subeunda, ut potius ex ipso BOETHIO vera interpretatio sit haurienda. Nam enumerat CICERO topum ab adiunctis, quem BOETHIUS de different. topicis Lib. III. p. m. 878. ita describit: Ab adiunctis ille est, qui in Themistii partitione a communiter accidentibus dicitur, inter consequentia substantiae nominatus, et porro Lib. IV. p. 885. quae sunt adiuncta negotio, non adhaerent ipsi negotio, sed accidunt circumstantiis, et tunc demum argumentum praestant, cum ad comparationem veniunt.

veniunt. Sumuntur vero argumenta --- ex simili, ut appareat non ex relatione sumi argumentum, sed ex adiunctis negotio, et ea esse adiuncta negotio, quae sunt ad ipsum, de quo agitur, negotium affecta. Quae cum ita sint, recte BOETHIUS ad CIC. Top. Lib. II. p. 782. has rationes colligit: Non est necessaria consecutio, sed vicina. Nam fieri potest, ut id recipiatur solum, secundum mulieris tabulas possessionem dari, non vero id, ut secundum tabulas seruorum vel puerorum possessio concedatur. Sed proximum est, ut, qui nunc hoc recepit, posterius illud admittat. Est igitur argumentum ab adiunctis, id est, ab eo, quod in ipso haeret, de quo quaeritur. Ponitur igitur hoc, quod secundum tabulas mulieris capite nunquam deminutae bonorum possessio non detur, sed non propter negotium ipsum per se, sed ab adiunctis, si scilicet, BOETHIO interprete, ea sine tutoris auctoritate testamentum fecit, si vero secus est, fieri potest, ut secundum mulieris tabulas possessio detur. Et quanquam mulier, quae capite se haud deminuit, et sui iuris est, differre videtur a seruo, exule et impubere, qui vel sunt in potestate, vel a testamenti factione prohibiti, tamen horum testamenta eadem ratione, ac illius, quae sine tutoris auctoritate testamentum fecit, nullam vim habent, atque valorem. Pendet igitur hoc ab adiunctis, scilicet circumstantiis, si non tutorem adhibuerit, et quanquam re ipsa testamenta non sunt vnus generis, nec adiuncta adhaerent ipsi negotio, accidunt circumstantiis, et argumentum ad comparisonem praestant, et aliqua ex parte sunt similia, etsi, uti vulgo dicitur, omne simile claudicat. Sed sufficiant haec de testamento mulieris capite non deminutae, cum potius officii nostri ratio postulet, ut debitis laudibus extollamus caput

V I R I
 IUVENIS DOCTISSIMI
 FRIDERICI HENRICI
 ESCHENBACHII,

qui ex Ictorum Ordinis Edicto in possessionem Iurium Doctoralium venire cupit.

Is natus Lipsiae die XV. Nouembr. MDCCXLIII. patre *Christophoro Ieremia Eschenbachio*, qui Senatui Lipsiensi ab officiis est, et matre *Sophia Regina Ordorfia*, quibus adhuc superstitionibus prosperrimam et tranquillam apprecatur senectutem. A prima aetate fidelissimorum et doctissimorum praeceptorum doctrinae traditus, etiam in ludo Thomano cum publicis, tum priuatis b. LEISNERI Rectoris lectionibus interfuit, donec bene praeparatus ad Academiam transiit Anno MDCCLXIII. quam tunc temporis Vir Magnificus IOANNES HENRICVS WINCKLERVS regebat, cuius quoque auspiciis Philosophiae se dedit, quae percepta ad iuris scientiam sibi aditum fecit secutus duces optimos doctissimosque FRIDERICVM GOTTIEBIVM ZOLLERVM, in Institutionibus, Pandectis, arte relatoria, processu, et iure criminali explicando, IOANNEM GODOFREDVM SAMMETIVM, Historiam Iuris, Ius Feudale, et Ius publicum, tam vniuersale, quam particulare, docentem, ac Ius Naturae, quod etiam pariter ac Ius Canonicum ex ore CHRISTIANI HENRICI BREVNINGII percepit, et SCHOTTII praelectionibus in Ius Germanicum diligenter interfuit, quin PLATNERI Medici scholas, cum forensem

sem medicinam exponeret, frequentauit. His igitur praeceptoribus nunquam satis laudandis praecuntibus amplissimum iuris campum non infelici successu emensus, iure suo ipsam attingere metam studuit, quare habita d. XII. Febr. huius anni dissertatione, sub praesidio S. R. ZOLLERI: *Vtrum testamentum importunis sollicitationibus factum valeat, atque examine, quod Iuris Candidatis praescriptum, d. XV. Apr. superato, ceterisque speciminibus, causas in foro agentibus edendis, mense Ianio praestitis, vt ab Ordine nostro ad examen, quod rigorosum appellatur, admitteretur, modeste petiit, illudque die dicto XIII. Augusti ita sustinuit, vt omnium collegarum suffragio, honores supremos optimo iure mereri iudicaretur. Quod vt ordine recepto fiat, postquam Candidatus Doctissimus consuetam lectionem cursoriam ad L. vnicam C. de rei uxoriae actione die XXXI. Augusti post horam secundam a meridie instituerit, atque dissertationem Inauguralem de emendando et abbreviando processu Saxónico Praeside Viro Summe Reuerendo, Magnifico et Illustri, D. CAROLO FERDINANDO HOMMELIO, Ecclesiae Cathedralis Martisburgensis Capitulari, Serenissimi Electoris Saxoniae aulico in rebus iustitiae Consiliario, Curiae Supremae provincialis Assessore, Professore primario Decretalium, Collegii Iuridici Ordinario, Academiae Decemuiro et Consiliario, Patrono Optimo Kalendis Septembr. defenderit; ego ex auctoritate Procancellarii clementissime concessa Virum Summe Reuerendum et Magnificum D. FRIDERICVM GOTTLIEBIVM ZOLLERVM Cod. P. P. Ecclesiae Cathedralis Martisb. Canonicum, Curiae Supremae Lipsf. et iudicii Lusat. inser. quin. Facult. Iurid. Assess. nec non Academiae Decemuirum, Collegam Suauissimum his publicis tabulis rogatum cupio, vt, cuius fauorem et benevolentiam saepe expertus est, atque grata mente agnoscit Candidatus noster,*

ei

XVI

ei hunc beneficiorum adhuc addat cumulum, et ipsi summos in Iure honores doctoralemque dignitatem, excepta tantum spe in Ordine nostro locum aliquando occupandi, beneuole largiatur. Quam inaugurationem, quo sit solennior, nostroque Ordini magis accepta; RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLUSTRISSIMOS, OMNESQVE, QVI ACADEMIAE NOSTRAE FAVENT, pariter ac COMMILITONES DOCTISSIMOS, vt sua praesentia ornent, tum Ordinis nostri nomine, tum meo obtestor; atque hoc beneficium omni officiorum genere nos velle demereri, publice promitto. Scripsi Lipsiae die Dominica XIII. post Festum Trinitatis MDCCLXXVIII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA







KA 678

X2369311

me





2

PROCANCELLARIVS
D. CHRISTIANVS WILHELMVS
KÜSTNERVS

INAUGVRATIONEM DOCTORALEM IN IVRE
VIRI DOCTISSIMI
FRIDERICI HENRICI ESCHENBACHII

LIPSIENSIS

KALENDIS SEPTEMBRIS MDCCLXVIII.

I N D I C I T

A T Q V E

DE TESTAMENTO FEMINAE CAPITE NON DEMINVTAE
AD LOCVM CICERONIS

TOPIC. C. 4.

COMMENTATVR.

